Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35480
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



katholici qui purpura se uestiunt · cum de preciosarum uestium
ornatu superbiunt · Splendide epulantur · dum deliciis et carnis
desideriis tantum operam dare conantur · Porro christianus populus
humilis peccata sua confitens · terrena despiciens · sola celestia
appetens · ut lazarus ulcerosus abicitur · dum a iudeis · a gen
tilibus · ab hereticis · malis katholicis despicitur · Sed cum diues mo
ritur · in infernum truditur · quia increduli et peruersi qui hic in bonis di
es ducunt in puncto ad inferna descendunt · Lazarus autem moriens
in sinum abrahe ducitur · quia christianus populus qui hic affligitur · post re
requie et gaudio perfruitur · Unde in offertorio dominum regem inuocat ·
In communione eius magnalia narrat · Sub lege ·
Dominica que sequitur · dauiticum regnum representare uidetur · Occi
so namque saul · dauid agentibus euocatur · et in regni solio sublima
tur · Qui exultans dicit · factus est dominus protector meus · Cum oratio sancti nominis
congruit · quia dei gubernatione numquam destitui suos dilectores dicit ·
Epistola etiam conuenit · quia eum de morte ad uitam translatum dicit · De mortis
namque periculo liberatur · in regnum est translatus · Unde et in graduali ad
dominum cum tribularer se exauditum exultat · In alleluia deus iudex iu
stus · eius iudicium laudans exultat · quia superbum saul deiecit · et se humi
lem populo prefecit · Huic euangelium consonat · quod quidam cenam magnam fecis
se · et multos uocasse · et plurimos non uenisse commemorat · Hec enim
dubium dauid adeptum regnum magnum populo instruxisse conuiui
um · Qui uenire nolebant · de gente saul erant · In offertorio Domine
conuertere precatur · ut ab hostibus undique eruatur · In communione Cantabo
domino gratias agit · quia ei tot bona tribuit · Hoc totum de christiano populo
accipitur · qui hic a persecutoribus in membris oppressus ad supernum regnum
euocatur · qui de sua ereptione gratulabundus dicit · factus est dominus protec
tor meus · In oratione innotescit · quod per timorem ad amorem peruenerit ·
Lectio dicit · quod eos mundus odio habuerit · Sed nunc de morte ad uitam
translati fuerint · In graduali in tribulatione se exauditos clamant ·

Sub lege.